



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

VII. Perseus, sive Bellum.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

per Partes generat, per Totum autem quomodo generare possit? cum Corpus extra ipsum non sit. Nam de filiâ ejus Putativa, muliercula illa, est fanè ea adjectio quadam ad Fabulam sapientissima; per illam enim representantur ea, quæ perpetuis temporibus passim vagantur, atque omnia implent, vaniloquæ de rerum Natura Doctrinæ, re ipsa infructuosa, genere quasi subditæ, garrulitate verò interdum jucundæ, interdum molestæ & importuna.

VII.

PERSEUS, SIVE BELLUM.

Perſeus traditur fuisse à Pallade missus ad obrutandam *Medusam*, quæ populis plurimis ad Occidentem in extremis Hiberiæ partibus maximæ calamitati fuit. Monstrum enim hoc tam durum atque horrendum fuit, ut aspectu solo homines in saxa verteret. Erat autem è Gorgonibus una ac sola Martialis Medusa; cum Passivæ reliquæ non essent. Itaque *Perſeus* ad tam nobile facinus se comparans, arma ac dona à tribus Diis accepit: Talares alas à *Mercurio*, à *Plutone* Galeam, Scutum à *Pallade*, & Speculum. Neque tamen licet tanto apparatu instructus, ad *Medusam* rectè perrexit, sed primum ad *Graas* divertit, Ex sorores ex altera parente Gorgonibus erant. Atque *Graa* ista Cana jam à Nativitate erant, & tanquam vetula. Oculis autem iis tantummodo & dens erat omnibus unicus, quos prout exire foras quamque contigerat, vicissim gestare, reversa autem iterum deponere solebant: Hunc itaque oculum atque hunc dentem illa *Perſeo* commodarunt. Tum demùm cum se abundè ad destinata perficienda instructum judicaret, ad *Medusam* properavit impiger & volans: Illam autem dormientem offendit; Neque tamen aspectui ejus (si evigilaret) se committere audebat, sed Cervice reflexa, in Speculum *Palladis* inspiciens atque hoc modo icus dirigens, caput ei abscidit. Ex sanguine autem *Medusæ* fuso, statim *Pegasus* alatus emicuit. Caput enim abscissum *Perſeus* in Scutum *Palladis* inseruit, cui etiam nunc sua mansit vis, ut ad ejus intuitum omnes seu attoniti aut syderati obrigerent. Fabula de Belligerandiratione & prudentia conficta videtur. Atque in ipsa de bello suscipiendo, & degenerate belli eligendo deliberatione, tria proponit præcepta sana, & gravia, tanquam ex Consilio *Palladis*. Primum ut de subjugatione Nationum Finitimarum quis non admodum laboret. Neque enim eadem est patrimonii, & imperii ampliandi ratio. Nam in possessionibus privatis, vicinitas prædiorum spectatur: sed in propagando Imperio, Ocasio & belli conficiendi facilitas, & fructus, loco vicinitatis esse debent. Certè Romani, quo tempore Occidentem versus, vix ultra Liguriam penetraverant, Orientis provincias usque ad Montem *Tantum* armis & imperio complexi sunt. Itaque *Perſeus* licet Orientalis, tamen longinquam expeditionem, usque ad extrema Occidentis minimè detraxit. Secundò Curæ esse debet, ut justa & honorifica subsit belli causa: Id enim & a lacritatem tum militibus, tum populis impensas conferentibus addit & societates aperit, & conciliat, & plurimas denique commoditates habet.

Nulla autem belli causa magis pia sit, quam de bellatio Tyrannidis, sub qua populus succumbit, & prosternitur sine animis & vigore, tanquam sub aspectu *Medusæ*. Tertio prudenter additur; quod cum tres Gorgones fuerint (per quas bella representantur) *Perſeus* illam delegerit, quæ fuerit Mortalis; hoc est bellum ejus conditionis, quod confici, & ad exitum perducere posset, nec vastas, aut infinitas spes persecutus est. Instructio autem *Perſei* ea est, quæ ad Bellum unicè confert, & fortunam ferè trahit. Accepit enim celeritatem à *Mercurio*, Occultationem Consiliorum ab *Oreo*, & Providentiam à *Pallade*. Neque caret Allegoriâ, eaque prudentissima, quod Alæ illa celeritatis Talares, non Axillares fuerint, atque pedibus non humeris additæ; quia non tam in primis belli aggressibus, quam in eis quæ sequuntur, & primus subsidio sunt; Celeritas requiritur: Nullus enim error in bellis magis frequens est, quam quod Prosecutiones, & subsidarii Impetus, Initiorum alacritati non respondent. Etiam illa Providentiæ Divisio (Nam de Galea *Plutonis*, quæ homines invisibiles reddere solebat, Parabola manifesta est) ingeniosa videtur de scuto, & speculo; neque enim ea Providentiâ solum adhibenda est, quæ cavet instar Scuti, sed illa altera per quam hostium vires, & motus, & consilia cernuntur, instar speculi *Palladis*. Verùm *Perſeo* utcumque copiis aut animis instructo, restat aliud quiddam maximi per omnia momenti antequam incipiatur bellum, nimirum ut divertat ad *Graas*. *Graa* autem Proditiones sunt, Bello- rum scilicet Sorores, non Germanæ illæ quidem, sed generis nobilitate quasi impares. Bella enim generosa, Proditiones degeneres & turpes. Earum descriptio elegans est, ut cana à nativitate sint, & tanquam Vetulae, propter perpetuas Proditorum Curas & Trepidationes: Earum autem vis (antequam in manifestam defectionem erumpant) aut in Oculo, aut in Dente est: Omnis enim Factio à statu quopiam alienata, & speculatur, & mordet: Atque hujusmodi Oculi & Dens tanquam Communis est. Nam quæ didicerunt, & noverunt, ferè per manus factionis ab uno ad alterum transeunt, & percurrunt. Et quod ad Dentem attinet, uno ferè ore mordent, & similem Cantilenam canunt, ut si unum audias, omnes audias. Itaque *Perſeo* conciliandæ sunt ista *Graa*, ut Oculum, & Dentem ei commodent: Oculum ad Indicia, dentem ad rumores ferendos, & invidiam conflandam, & animos hominum sollicitandos. His itaque dispositis, & præparatis, sequitur ipsa Belli actio. In eâ *Medusam* dormientem invenit: Prudens enim belli susceptor, semper ferè hostem assequitur imparatum & securitati propriam: Atque nunc tandem speculo *Palladis* opus est. Plurimi enim ante ipsa pericula res hostium acutè & attentè introspicere possunt; sed in ipso periculi articulo præcipuus est usus speculi, ut modis periculi cernatur, terror non offundatur: (quod per illum intuitum capite averso significatur) A bello perfecto sequuntur effecta duo: Primum *Pegasi* illa generatio & exuscitatio, quæ satis evidenter Famam denotat, quæ per omnia

Hhh

volat

volat & victoriam celebrat: Secundum Gestatio capitis *Meduse* in scuto; siquidem nullum præsidij genus huic ob præstantiam comparari possit. Unicum enim tacinus insigne, & memorabile fœliciter gestum, & perpetratum, omnes inimicorum motus cohibet, atq; malevolentiam ipsam stupidam reddit.

VIII.

ENDYMION, SIVE GRATIOSUS.

Paltor *Endymion* traditur à *Luna* fuisse adamatus: novum autem, & singulare erat consuetudinis genus, siquidem ille decumbebat in nativa quadam specu, sub Saxis *Larnis*; *Luna* autem haud raro de Cælo perhibetur descendisse, & sopiti Oscula petiisse, ac rursus in Cælum se recipisse. Neque tamen Otium istud, & somnus in detrimentum fortunarum ejus cedebat. Sed *Luna* interim effecit, ut pecus ejus pinguesceret admodum, ac numero etiam fœlicissime auctum esset, ut nulli paltorum greges essent lætiores, aut numerosiores. Fabula ad ingenia & mores Principum pertinere videtur. Illi enim cogitationum pleni, & in suspiciones propensi, non facile ad consuetudinem vitæ interiorum recipiunt homines qui sunt perspicaces, & curiosi, & quasi animo vigilantes, sive exsomnes: sed potius eos, qui ingenio sunt quieto, & morigeri, & quod placitum est illis patiuntur, & nil ultra inquirunt, sed se veluti ignaros & nil sententes, & quasi sopitos præbent; denique magis obsequium simplex, quam observantiam callidam præstant. Etenim cum hujusmodi hominibus Principes de Majestate sua, veluti *Luna* de Orbe superiore, descendere & personam (quàm perpetuò genere instar Oneris cujusdam sit) deponere, & familiariter versari libenter consueverunt, idque se tuto facere posse putant. Id quod in *Tyberio Casare*, Principe omnium maximè difficili, præcipue annotatum fuit: apud quem illi solummodo gratiosi erant, qui notitiam morum ejus reverè habebant, sed pertinaciter, & quasi stupidè dissimulabant. Quod etiam *Ludovico* undecimo *Francorum* Regi Principi cautissimo, & callidissimo in moribus erat. Neque ineleganter in Fabula ponitur Antrum illud *Endymionis*: quia ferè usitatum est illis, qui hujusmodi gratia apud Principes florent, habere secessus aliquos amœnos, quò illos invitent, ad otium & animi remissionem absque Fortunæ suæ mole. Qui autem in hoc genere gratiosi sunt, plerumque rem suam bene agunt. Nam Principes licet fortasse ad honores eos non evchant, tamen cum vero affectu, nec propter utilitatem tantum illos diligant, munificentia sua eos ditare consueverunt.

IX.

SOROR GYGANTUM, SIVE FAMA.

Memorant Poetæ, *Gygantes* è terra procreatos, bellum *Jovi*, & superis intulisse, & fulmine disiectos & devictos fuisse. Terram autem *Deorum* ira irritatam in vindictam natorem

fluorum, *Famam* progenisse; extremam *Gygantibus* Sororem:

*Illam Terræ parentis irâ irritata Deorum
Extremam (ut perhibent) Cæo Enceladog, Sororem*

Progenit. —

Hujus Fabulæ ea sententia videtur esse: per *Terram*, Naturam vulgi significarunt, perpetuò tumidam & malignam versus Imperantes, & res novas parturientem: Hæc ipsa occasione adeptæ, Rebelles parit & seditiosos, qui Principes ausu nefario exturbare, & dejicere machinantur, quibus oppressis, eadem Plebis natura deterioribus favens, & tranquillitatis impatiens rumores gignit, & susurros malignos, & Famas querulas, & famosolibellos, & cætera id genus, ad invdiam eorum qui rebus præfunt; ut Actiones Rebellium, & Famæ Seditiosæ, genere, & Stirpe non differant; sed veluti sexu tantum; cum istæ mulieres videantur, illæ viriles.

X.

ACTÆON ET PENTHEUS,
SIVE CURIOSUS.

Curiositas humana in secretis rimandis, & eorum notitia appetitu male sano concupiscentia, & prensanda, duplici exemplo apud antiquos coercetur: Altero *Actæonis*, altero *Penthei*. *Actæon* cum *Dianam* imprudens, & casu sine veste vidisset, in Cervum versus, à canibus quos alebat, dilaceratus est. *Pentheus* cum sacrificiorum *Bacchi occultorum*, conscensa arbore, spectator esse voluisset, furore percitus est. Fuit autem *Penthei* Dementia ejus generis, ut res congeminasse existimaret, & duo Soles & rursus duæ *Thebæ* ei ob oculos versarentur; Adeo ut, cum *Thebas* properaret, statim alteris *Thebis* conspectis retraheretur: Atq; hoc modo perpetuò & irrequisite sursum & deorsum ferretur.

Eumenidium demens qualis videt agmina Pentheus,

Et Solem geminum, & duplices se ostendere Thebas.

Fabularum prima, ad secreta Principum; Secunda, ad secreta divina pertinere videtur. Qui enim Principibus non admissi, & præter eorum voluntatem secretorum conscii sunt, odium certissimum apud eos consequuntur. Itaque gnari se peti, & occasiones captari, vitam degunt Cervorum more timidam & suspitionibus plenam. Quin & illud sæpius accidit, ut à servis & domesticis in gratiam Principum, accusentur & subvertantur. Ubi enim Principis offensio manifesta est; quot servi, tot ferè Proditores esse consueverunt, ut *Actæonis* fatum illos moneat. Alia est *Penthei* calamitas. Qui enim ausu temerario, mortalitatis parum memores, per excelsa Naturæ & Philosophiæ fastigia (tanquam arbore conscensa) ad Mystera divina aspirant, iis pcena propo- sita est, perpetuè inconstantia, & judicij vacillantis & perplexi. Cum enim aliud sit Lumen Naturæ, aliud Divinum, ita cum illis sit, ac si duos Soles viderent. Cumque Actiones vitæ, & decreta voluntatis, ab intellectu pendeant; sequitur etiam ut non minus voluntate, quàm opinione hæsitent, nec sibi omnino consent: Itaque & duas *Thebas*